

cepturus. Et quamuis nonnulla nobis hic subit cura, ne forte quæ offeruntur, parum uideantur tua Celsitudine digna, uicissim tamen animum facit, & in spem bonam erigit excellens Clementia tua, quam boni doctique omnes unice prædicant, admirantur, obseruant. Magnam iam olim laudem emeruit Augustus præclaro illo comitatis exemplo, quod cuidam ipsi libellum trepidè de porrigenti, manumque nunc proferenti, nunc meticolose retrahenti, dixit: An putas te assem dare elephanto? Quo dicto & illi animum addidit, & egregium reliquit suæ specimen humanitatis. Quanto maiorem laudem merebitur Celsitudo tua Amplissime pater, si præclaro diuini animi candore literarium hoc munusculum in optimam partem acceperit. Nos certe magna fiducia concepta, insignia Amplitudinis tuæ, nostrasque lucubrationes, & autorem hunc uertustissimum uelut uno fasce, ad Reuerendissimam paternitatem tuam remittimus, eidemque humiliter offerimus, dicamus, atque sacramus, obnixè rogantes & genuinam animi tui Magnificentiam obtestantes, quatenus dignetur hoc, quicquid est xenioli ueluti strenulæ loco, delatum clementer suscipere, & non tam munusculum hoc exile, quam offerentis animum respicere, qui longe maiora daturus esset, si per ingenioli facultates liceret. Agnoscimus siquidem ad Celsitudinē tuam non nisi præclarissima & dignissima quæque, omnibus etiam numeris absoluta esse referenda. Veruntamen & Dijs lacte rustici multaque gentes supplicat, & mola tantum salsa litant, qui, ut ille ait, thura non habent. Nec ulli uersum est uicio Deos colere, quoque modo posset. Laudatus etiam est præ cæteris Anaxerxes ille Cyri iunioris frater, cognomento Memor, quod oblatam sibi à rustico aquam caua utraque manu haustam, alacri uultu recepit. A paupere insuper quopiam insigni magnitudinis malum sibi donatum, accepit hilariter. Et tua igitur Amplitudo, ornatissime Præsul, dedicatum sibi hoc opusculum clementer suscipiat, nostramque in scribendo ineptiam boni consulat, Apianum uero inter infimos clientulos reponere non dedignetur. Valeat in Christo Reuerendissima paternitas tua, bonis doctisque omnibus diuissime superstes. Datum Ingolstadtij primo die Ianuarij, An. M. D. XXXIII.